Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1031
Quelle:
Copyright:

Hieronymo recinenti tribuuntur, ſed nobis una ſerie et *Hieronymiani* quidem loco primo decurrunt, partim prorſus evanidi, partim nihilo emendatiores, quam quidem in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXVII. p. 88. Ego ſaltem *Hieronymo* nihil eorum velim impingere.

VIII. *fol.* 241. *Propoſitio Richardi archiepiſcopi Ardmachani primatis hibernie facta in conſiſtorio* — — videlicet *Avenionenſi* coram Papa a. 1357. contra Mendicantes, unde et *Defenſorium Curatorum* audit, et ſaepius editum, et a me *Vol.* ſuperiore relatum, hic vero maximam partem humore deletum. Init: *Nolite iudicare ſecundum faciem* &c.

IX. *fol.* 250. Ejusdem *Sermo apud crucem eccleſie ſancti pauli london. prima dominica XLe. Anno domini M. CCC. LXI. et conſecrationis ejusdem archiepiſcopi A. X^o.* Initium: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis* &c. Maximam partem evanidus, ſed ſaepius editus, et *Vol.* ſuperiore a me relatus, unde etiam Chronologiae emendatio peti poteſt. Ad calcem: *Hic terminantur queſtiones de ordinibus per manus Nycolai nomine chriſti.*

X. *fol.* 257. p. 2. *Comentum compendioſum beati Jeronimi presbiteri ſuper Apokalipſim beati Johannis apoſtoli et ewangeliſte.* Fumum vendit Compilator hic ignotus breviſſimae *Gloſſae*, quae incipit: *Johannes qui gratia dei interpretatur* &c.

XI. *fol.* 260. Conſtitutio quaedam Apoſtolica absque die et conſule in favorem Ordinis FF. Minorum, quae incipit: *Exiit qui ſeminat ſeminare* &c. et finit: *equitatis non arcet a vetitis, compeſcat rigor Apoſtolice vltionis. Amen.* Plurimum deleta ſitu, et in *Bullario Rom.* non reperta eſt *Nicolai* III. 1278. in VI. *Decretal.* L. V. *Tit.* 12. c. 3.

XII. *fol.* 265. alia manu Fragmentum *Propoſitionis* ejusdem *Richardi* ſupra N°. VIII. adlatae ab iis verbis: *In ſexto de ſepulturis. Animarum periculis et ſcandalis que frequenter ex hijs proueniunt* &c.

XIII. *fol.* 269. *Nicolai de Lyra*, ut e calce praeoccupo, *Poſtilla in Danielem.* Verum tantum a C. XIII. ſive *Suſannae* Hiſtoria usque ad finem.

XIV. *fol.* 274. p. 2. Idem, ut rurſus in calce, *ſuper ſecundum librum Esdre.* Tertium nempe apocryphum: *Et fecit Joſias Paſcha* &c. Subſcriptum ab Autore: *Actum pariſius Anno Domini M^o. CCC^o. XXX. XIII. kal. april.* Poſt quae et librarius nomen ſuum profitetur: *Per manus Vlrici de Sulczbach.* De *Lirani* Editionibus non ſemel dictum.

CCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec XV. R. 3022
Folior. 134. f. per duas columnas valde nitide perſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim, ut pluribus locis notatum, *Monaſterii Sancte Dorothee in Wienna*, aliud Exemplum